



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXX. De Fœlicis Pontificatu & Martyrio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXX.

DE

Fælicis Pontificatu & Martyrio.

Postquam Liberius Romanus Pontifex Constantii Imperatoris iussu, nocte concubia per emissarios captus, & Româ abductus, ob defensionem veræ fidei in exilium relegatus fuisset; quemadmodum in superiori Controversia citati Authores referunt. Clerus Romanus, penes quem tunc jus residebat eligendi Pontificem, iuravit, se nullum alium velle Liberio surrogare, aut quovis modo intrusum admittere. Sic notat sanctus Hieronymus in Chron. & habetur in M. S. historia, Onuphrio Panvino à Marcello II. commun cara. Nihilominus Imperator, teste Athanatio Epistola ad Solit. electionem novam, non quidem in Ecclesia, ut moris erat; sed in palatio instituit. In hoc Felix Romanus Diaconus à quibusdam fuit Pontifex electus, qui mox per Acacium Cælarensensem Episcopum, Epictetum & quendam tertium, in præsentia trium eunuchorum, ordinatus fuit.

Electores fuisse Arianos in comperto est ex eodem Hieronymo; cuius verba sunt. *Cum Fælix ab Ariano fuisset in sacerdotium*

substitutus, plurimi pejeraverunt. Testis quoque est Rufinus loc. citando. In eius Liberii locum Fælix Diaconus suus ab hereticis subrogatur. Quidquid verò scribat Socrates Lib. 2. cap. 27. fuisse multos, qui Fælicem hunc, vi ac necessitate compullum, ordinationem suscepisse affirmant; constat ex Rufino Lib. 1. cap. 22. Theodoro Lib. 2. cap. 17. eundem cum Arianis perquam familiariter aliquamdiu conversatum fuisse. Interim Populus Romanus de hac elect. one certior factus, electum Urbe pulsit. Perhibent hoc Faustinus & Marcellinus, testes oculati, in præfatione libelli, quem Valentiniano & Theodosio obtulerunt, extatque tom. 5. B. M. P. ubi legitur. Fælix notatus à Senatu vel populo, de urbe propellitur; & post parum temporis, impulsu clericorum, qui pejeraverant, irrupit in Urbem, & stationem, in Julii Basilica trans Tiberim dare presumat. Quem omnis multitudo fidelium & Proceres iterum de urbe cum magno dedecore projecerunt. Interea Liberius ad supplicationem matronarum Romanarum, nec non ad populi clamorem, qui in circo Imperatoris

infontuit ab exilio revocatus, magno applausu receptus fuit; quem; sicut antea, Clerus urti & populus Romanus veluti virum magnanimam coluerat, postque scandalosum lapsum ut arundinem vento agitatam averfatus fuerat: sic, postquam vidisset ingentibus illum charitatis studiis, & sinceræ pœnitentiæ lachrymis nævum eluisse, atque ex imbecillitate fortiozem effectum, in maxima veneratione, ut prius, habuit.

Atque hinc inter ephoros suborta acris disceptatio, an Fœlix Diaconus ille verus, indubitatusque Pontifex unquam extiterit. Affirmant Platina, Wernerus Rolevinck, Author Fasciculi temporum, Genebrardus, Sanderus, Baronius, adhærescunt Bellarminus, Henschenius, Pagius, Schelstrate & plerique recentiores, qui catalogum Romanorum Pontificum conficiunt; idque inde evincere arbitrantur.

I. Author antiquissimus Pontificalis Romani, qui Damaso, Fœlicis post Liberium Successori communiter adscribitur sic habet de eodem. *Declaravit Constantium, filium Constantini, hereticum, & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, juxta Nicomediam in aquilone villa.* Pontificem fuisse Fœlicem insinuare videtur S. Hieronymus, dum in Chronico refert de Romanis Clericis. *Post annum cum Fœlice ejecti sunt, quia Liberius radio victus exilii & in hereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit.* Fuit ergo Fœlix sede sua pulsus, quam, post lapsum Liberii supra memoratum, vacantem, suffragiis Clericorum Romanorum intraerat. Extat quoque Epistola Athanasii ad Fœlicem II. de infestationibus Arianorum. Item visitur rescriptum quoddam Fœlicis Papæ II. ad Synodum Alexandrinam. Quin & ipsum Fœlicem convocasse Synodum quadraginta Episcoporum, in qua damnavit duos presbyteros Romanos, consentientes Constantio Imperatori Ariano, nomine Ursarum & Valentem, exhibet

Schelstrate *op. Chronol. Antiq. Ecclesiast.* Præterea in Codice Theodosii *Lib. 16. Tit. 2. de Episcop.* reperitur lex Constantii de Roma. *Eccles. clericorum Privilegiis* Latag. Idib. Decembris Mediolori Anno 357. ad Fœlicem II. Episcopum Romanum.

II. Omnia ferme martyrologia antiquum excusa, ut Bedæ, Adonis, Uluardi, tum manuscripta, quæ in diversis Bibliothecis reposita sunt IV. Kal. Augusti ponunt memoriam S. Fœlicis Papæ II. & Martyris, qui Constantium declaravit hereticum. In Romano etiam Martyrologio, quod jussu Gregorii XIII. P. M. fuit editum, eodem die sic legitur. *Roma viâ Aureliâ sancti Fœlicis II. Papæ & Martyris, qui à Constantino (Constantio, in mendosa editione substitui debet) Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem à Sede sua dejectus, & Cera in Tuscia occulte gladio necatus gloriore occubuit.* Accedat quod S. Gregorius Magnus in Sacramentario statuat integrum officium legendum ad Missam in die S. Fœlicis Pontificis & Martyris IV. Kal. Augusti. Esse autem hunc, de quo controversitur, Fœlicem; testis est Micrologus *lib. de Ecclesiast. observat. cap. 43.* ubi sic habet. *Nota autem S. Gregorium Papam I. in graduali libro de his martyribus, sicut de Confessoribus Pontificalia instituisse officia, ut de S. Marcello, Antiph. Statuit. & de S. Fœlice Antiph. Sacerdotes; & hoc utique satis congruè propter excellentiam dignitatis Apostolica.*

Dum itaque Ecclesia Catholica à multis retro sæculis virum hunc, de se bene meritum, ut Papam & Martyrem constanter venerata fuerit: non poterit non temerarium esse, eundem ex horum numero rejicere. Satiisque erit id ipsum concedere, de quo ambigitur; quam imprudenter resistere: ut Cicere pronuntiat. *Lib. 1. de natu. Deor.*

III. Fœlix Papa S. Gregorii Magni Avarus à cunctis Scriptaribus vetustis nomina-

tur Fœlix IV. sicut etiam vocatur à S. Joanne Damasceno *Lib. 1. de vit. B. Greg. Pape cap. 1.* à Leone Hostiensi *Lib. 1. Chron. Cassin.* Non posset autem hic esse quartus istius nominis, nisi ille, de quo agitur, fuisset secundus; cum non nisi duo, præter hunc Aravam sancti Gregorii præcesserint. Ergo Fœlix II. fuit Liberii successor ante annos mille in numerum Pontificum recensitus: neque enim schismatici Pontifices numerum faciunt. Hoc est Argumentum Bellarmini *Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 9.* Meminit & illius, quod sequitur.

IV. Factum divinitus, quod creditur ex speciali Dei ordinatione contigisse. Cum enim Romæ in recognitione Martyrologii Romani Anno 1582. ambigeretur, deberetne hic Fœlix in novo Martyrologio collocari; ejusque nomen expungendum censeret Baronus, pridie illius diei, quo celebrari solebat memoria hujus Fœlicis, inventa fuit arca lapidea in Basilica Sanctorum Cosmæ & Damiani in foro ad templum pacis, posita cum hac inscriptione. *Corpus Sancti Fœlicis Pape & Martyris, qui damnavit Constantium.* Sic Fœlix visus est, admiratione omnium, redivivus comparuisse, per se suam ipse causam acturus; cum jam valde stylo contradicentium esset oppressus; ac tandem, veluti dissipata nube opaca, veritas lucis suæ effudit radios; cessavitque Controversia non levis; expungendusne esset Fœlix ob vitiosum ingressum in Sedem Romanam. *Talis est veritatis status, ut, etiam multis impugnantibus, suscipitur & crescat.* ait Chrylost. *in Math.*

Inter antiquiores, qui Fœlicem hunc non agnoscunt Pontificem, sunt S. Augustinus *Epist. 165.* Optatus Milevitanus *Lib. 2. cont. Parm.* qui Julio Liberium, Liberio Damasum substituunt. Quod quidem citatus Bellarminus conjicit factum, quia Fœlicis tempus in Pontificatu Liberii fuit inclusum. Quid verò huic deferendum conjecturæ, patebit

ex sequentibus. Eum Onuphrius, Hermantius, Nat. Alexander, Du Pin, multique alii extra classem Pontificalem constituunt his inducti argumentis:

I. Quando Liberius fuit in exilium relegatus, antequam formulæ Syrmienfi subscriberet, mansit verus ac legitimus Pontifex; quod Clerus Romanus probe agnoscebat; se se juramento adstrinxit, quod nullam alium veller, eo supervivente, admittere Pontificem: ut supra nominati testes, Faustinus & Marcellinus, rerum spectatores asserebant; atque inter eos, qui juraverunt, recensent ipsum Fœlicem; quod insuper prodit apud Onuphrium Damasus, eodem juramento obstrictus; itaque, qui, Liberio vivente, fuit substitutus, debet censeri sacrilegè intrusus, eumque S. Athanasius, ut monstrum in Sede S. Petri, semper fuit merito aspernatus, & S. Hieronymus Antipapam non incongruè vocat.

II. Electio illa Fœlicis æquè ac ordinatio fuit ipso jure nulla; utpote facta ab Arianis Pseudo-Episcopis, quod Rufinus, Hieronymus aliique testatum reliquerunt, quidquid Platina bis scribat, se id certò mirari. Luculenter etiam electionem & ordinationem ab Arianis factam, prodit Athanasius *ad Solit. Constantinus, inquit, in locum Ecclesie Palatium suum succedere voluit, & pro conventu populi tres eunuchos presentes esse jussit, tresque item catascopos, hoc est exploratores (non enim eos Episcopos dixeris) ut ipsi Fœlicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profecto talibus suffragatoribus.*

His certissimis Authorum synchronorum testimoniiis apertè contradicere, aut ipsos falsi arguere; cum viro sincero minus decorum videri debeat; placuit Henschenio & Pagio eadem extenuare. Nimirum perturbata rerum Romæ gestarum notitia in Ægyptum pervenit ad Athanasium; & Hieronymus Chronicon suum in Oriente scripsit admodum juvenis. Verùm quis animo sibi fingat

fiugat ex perturbata rerum Romæ gestarum notitia, S. Athanasium, virum circumspetum Solitarii referte voluisse, ut certa de gravissimi momenti negotio, quod universam concernebat Ecclesiam Catholicam? *Quid stultius quam incerta pro certis habere; ac falsa pro veris?* quaerit Cato major. Fuit Hieronymus juvenis in Oriente Chronographus; ergone ea, quæ alibi suo tempore contigerant, explorata habere non potuit, qui jam plurimos sibi consciverat familiares tum Romæ tum aliis in locis remotissimis, quibuscum ei erat litteraria consuetudo? Quæ juvenis de Fœlice tradidit, senior in libro de viris illustribus repetivit. Ipsemet Fœlix ibidem Arianus vocatur ab eodem Hieronymo, ubi de Acacio ait. *Acacius, quem, quia luscus erat, Monophthalmum nuncupabant, in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Fœlicem Arianum Episcopum constitueret.* Bellarmino videtur *Arianum* aliunde itrepisse; quia Authores posteri, qui totum tunc locum Hieronymi referunt, illud non habent. Socrates dicit quidem, quod Fœlix Arianorum tunc fuerit amplexus perfidiam, cum eligeretur; at Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus perhibent solum Arianis, integra fide, in Concilio Nicæno exposita, familiaris fuisse. Judicet inde prudens Lector an immeritò Arianismus fuerit à S. Hieronymo Fœlici imputatus; adeoque necesse sit ad interpolationem recurrere.

III. Liberius etiam, postquam subscripserat condemnationi Athanasii & confessioni Syrmienti, mansit verus Pontifex; quia ex defectu pertinaciæ in hæresin non incidit, quidquid hoc quidam præsumerent. Præsumptio autem hæresis nequaquam sufficit, ut legitimo Pontifici abrogetur Pontificatus. Siquidem Ecclesia Catholica constanter credidit, docuitquæ; Romanum Pontificem haud aliter desinere esse Ecclesiæ caput, quam ob manifestam hæresin; quando scilicet

illic, nec animo, nec corpore, nec unione interna, nec externa membris, id est, fidelibus adhæret. Concedit autem Baronius, tantus Fœlicis hyperaspistes, Liberium, licet à fide Catholica excidere visus sit, nunquam rei veritate omninò defecisse. Quod si forte quidam erroneè judicaverint, Liberium Pontificali Sede excidisse; non ideo delit esse fidelis, & fidelium caput. Itaque cum eadem Sedes Petri à duobus Præfultibus (quod Constantio in votis erat, & tantopere moliebatur Conciliabulum Syrmense refragantibus Canonibus Christi quæ institutione) gubernari ac teneri non posset: quoadusque Liberius verus erat Pontifex Romanus, Fœlix esse non poterat.

Quibus diversa insidet menti sententia regerunt, quod Ecclesia secundum actus externos judicet: & quia Liberium externum sentiebat hæreticum, simpliciter hæreticum reputabat. Quamquam ergo Fœlix pro toto illo, quo Liberius absuit, tempore non fuerit indubitat, & certus Pontifex; fuit tamen à petmultis, post Liberii lapsum ut verus Papa Romanus dictus & agnitus, quo Pontificalem jurisdictionem acquisivit: eique locus inter eos per cuncta retro sæcula relictus.

Hæc autem frivola videntur rem penitus tractantibus, qui dicunt, error communis potest quidem, si adsit titulus coloratus, suppleri jurisdictionis defectum in subiecto capite, suppositis cæteris requisitis; Fœlix autem, Diaconus tantum ante Liberii lapsum, invalidè, ut constat, ab hæreticis presbyter & Episcopus ordinatus Liberio supersistere, nullam jurisdictionem sibi arrogare poterat. Quod si enim ordinatio fuit invalida; prout, teste Du Pin, invalidam censent omnes Authores antiqui, etiam post lapsum Liberii invalida mansit; quandoquidem ut JCorum fert paræmia. *Quod ab iniuria non valet, tractu temporis non convalescit.*

Denique, quod palmare videtur, quando Liberius à fide præsumptivè devius, fuit reversus; ab omnibus orthodoxis Episcopis & Præsulibus fuit receptus & agnitus tanquam verus & indubitatus Pontifex; Sedemque suam pacificè conscendit, plurimis annis tenuit, idque vivente adhuc Fœlice. Qui si violenter quoque expulsus fuisset, ut nonnulli referunt; supposito, quod verus extitisset Pontifex, Liberio tunc aditum ad Pontificatum præclusisset; neque is reverfus, Pontifex fuisset; Meminit quidem Philostorgius, Arianus scriptor parum fidelis, à Nicephoro Calixto dictus: *Deo in-vitus, Hist. Eccles. Lib. 4. num. 3.* quam tempore Theodosii junioris evulgavit, adveniente Liberio, Fœlix ad sua se receperit, Episcopi dignitatem quidem retinens; nulli tamen Ecclesiæ præsidens, Clerum interim semper adhaerentem habens. Verùm Daniel Papebrochius in *Conar. Chron. Hist. dissert. 9.* negat ex hoc testimonio, de dimissione actualis residentia duntaxat intelligenda; evinci, quod Fœlix jure etiam suo, seu vero, seu putatio, sese unquam abdicaverit; qua tamen negatione, Liberio reverso Pontificatus non adimitur, qui pulso Fœlice, & ad privatam fortunam redacto; sine nova electione Pontificatum recuperavit, & sine contradictione usque ad finem vitæ suæ gessit.

Quandoquidem verò Fœlicis Pontificatum propugnantes advertunt, quod ex uno admisso absurdo multa sequantur absurda: ut hoc evitent; constringuntur cum Baronio dicere; Liberium prius Papatum recuperasse post mortem Fœlicis. Quod, cum Antiquorum testimoniis apertè adversetur, omnino gratis obtenditur. Veterum quippe conspiratione erudimur, Liberium cum beneplacito Constantii Romam rediisse anno æræ vulgaris 358. Expulso itaque, post Liberii adventum, Fœlice, septem annis Sedes vacasset; quod tradit nemo. Neque Fœlicis satis fœliciter Pontificatum vendi-

cant argumenta in medium producta, quorum solutionem adferre, plerisque videtur minus operosum.

Ad Primum Respondetur. Pontificum Catalogus, Damaso perperam adscriptus, quantumcunque vetustus, qui Fœlicem II. inter Pontifices recenset, non tantæ est auctoritatis, ut tot præjudiciis laborantem verum probet fuisse Pontificem; manetque catalogus iste tum hic; tum multis aliis in locis, plurimorum eruditorum judicio correctioni obnoxius. Hieronymi testimonium productum huc nihil facit: neque aliud inde eruitur; quàm, quod Fœlix Diaconus Sedis Romanæ incubator; post anni spatium abs Liberio adhærentibus fuerit execussus. Epistolæ Athanasii ad Fœlicem, & hujus ad Synodum Alexandrinam nullibi inveniuntur, nisi in mercibus putridis Isodori Mercatoris. Synodum illam Romanam ignoravit Athanasius, qui sedulus alias fuit in recensendis Conciliis, ignorarunt & alii Scriptores superiores, qui hujus nullam prorsus fecere mentionem: neque unde hi 49. Episcopi venerint, alicubi legitur. Ursacium Episcopum Singondonensem in Myssia, quæ nunc Anatolia, cum Valente presbytero in Pannonia, ob blasphemias in Filium Dei in Sardicensi Concilio fuisse depositum; in Concilio Mediolanensi, postquam ejuraverant errorem, utrumque admissum; in Concilio Riminensi rurtum exauctoratos, & sua calliditate restitutos, denique Romæ à Damaso condemnatos habemus ex Theodoro, Socrate & Sozomeno, ex quibus sceneravit Baronius; de depositione, aut horum condemnatione in præfata Synodo, alium est in antiquitate silentium. Lex Constantii Imp., mutila à Baronio relata, tantum probat (quod nemo negat) Fœlicem aliquando à Constantio & Arianis fuisse habitum Pontificem, quem Orthodoxi semper, ut Pseudo-Pontificem fuerunt execrati.

Ad Secundum Respondetur. Ciratorum
Y y Marty-

Martyrologiorum antiquorum auctoritas non est irrefragabilis ; in quibus emunctioris naris horum temporum Critici , de fide & religione bene sentientes deprehenderunt , quæ in iusta statera , non populari , ponderata , inventa sunt minus habere de veritate. Fuit quidem Martyrologium Romanum iussu Gregorii XIII. P. M. editum , correctum , & multis locis auctum , cuius proinde auctoritas cætera omnia præcellit : haud tamen exploratæ & inconcussæ veritatis cenferi debent omnes promiscuè historiæ , ex Legendariis desumptæ , illique insertæ , quemadmodum alias non uno in loco remonstratum fuit. Historici , ut ex propylæo eruditissimi Papebrochii instruimur , non existimant Pontificia auctoritate se constringi , ad habendum pro canonizato , quidquid , quomocumque probatum improbatumvè Romæ fuerit. Hic eximii vir candoris , licet ex eorum sit Societate , toto orbe celebri , qui præ cæteris erga Apostolicam Sedem devotissimum illi speciali modo addicunt studium , cuius Decreta , Constitutiones , vivæ vocis Oracula , & quæ sunt huiusmodi hinc emanantia , indifferenter , ac religiosissimè suscipiunt , ac suspiciunt ; negat tamen ingenuè , Misalium , Breviariorum , Martyrologiorum , Conciliorum extra materiam fidei , tantam esse auctoritatem , ut factis , etiam particularibus , fidem quisquis , ideo solum quod inibi continentur , tribuere teneatur ; de falsitate eorum licet aliunde convictus.

Cujus Fœlicis , Officium ad missam Legendam posuerit Gregorius Magnus incertum manet. Micrologus , qui prætenditur Pontificis mentem assecutus , recentior est. Sed neque hic determinat , quis Fœlix ille fuerit , ut legentibus patebit , quidquid Bellarminus sibi persuasum habere voluerit , ipsum de Fœlice II. locutum fuisse. Coluerit ergo Ecclesia aliqua , etiam diuturniore tempore , hunc Fœlicem , ut Papam ; veritatis tamen ea est conditio , ut nemo ipsi præscribere valeat ,

non spatium temporum , non patrocinia personarum , non privilegium regnorum. Et his enim ferè consuetudo initium sub caligine ignorantia , ac nebula simplicitatis sortita , in usum per successionem roboratur & senescit. Cumque sera & contumeliosa senectutis intendatio , ut scribit Symmachus ad Valentinum : *Et Theodosium Imp.* Sarius videtur , ut traditio consistat loco ; quam ut falsa publicè declaretur.

Maneat igitur in hoc opinionum conflictu caivis sua opinandi libertas ; vel iudicium suspendendi facultas ; potissimum , quæ varietas ambiguitatem inducit : in ambiguis autem omnis definitio periculosa est , ut sapienter censuit vir sapientissimus Joannes Sarrisenberiensis *Lib. 2. cap. 24. Policrat.* An absque ulla aliâ ratione Fœlicis in numero Pontificum conveniat locus ; hæcquæ insertio , quæ multum aliquando vacillabat , sufficit præsertim dum pro contrario militant rationes non inertes ; & an ea unica , ob quam Martyrologio Romano Fœlix fuit intercalatus , sit omnino certa ; patebit ex responsione ad quartum argum.

Ad Tertium Respondetur. Numerus Pontificum nomini adjectus , non evincit , quod priores istiusmet nominis fuerint veri ac indubitati Pontifices , præsertim quando non in Bullis , Brevibus , aut Pontificum scriptis : sed apud Scriptores aliquos talis reperitur numerus. Quod enim ab his Pontifices varii variè numerentur , perspicuum est in Catalogis Romanorum Pontificum : ubi ii , qui nomine Joannis , Benedicti , Stephani , Martini insigniuntur , non eundem numerum sortiuntur. Quod itaque ex erronea supputatione Fœlix tertius à plerisque dicitur , qui aliàs secundus dici deberet ; eum , qui Pontifex non fuit , Pontificem non probat.

Ad Quartum Respondetur. Scripturam laterculo lapideo tunc incisam invento , fuisse ex falso rumore & monumentis apocryphis delump-

desumptam, quam inscriptionem peritissimi ævi hujus nostri Antiquarii censent esse Anastasio Bibliothecario posteriore. Neque enim ullus priorum temporum Scriptor testatur Felicem Constantium Imperatorem damnasse, non Athanasius, non Lucifer, non Hieronymus, non Hilarius, qui tanti rem momenti nequaquam silentio præterissent. Præproperea videtur hæc gladii Ecclesiastici in Imperatores potentissimos evaginatio, qua alienatos, hæreticorum machinationibus accedentibus, magis irritasset Pontifex; & dum Ecclesiæ Catholicæ prospicere voluisset, gravissimam in eandem excitasset persecutionem, mala attrahendo ad se, ut Cæcias nubes, quod Gellius ait. Denique Constantius adhuc erat catechumenus, quomodo potuit ergo damnari, id est, censuris Ecclesiasticis constringi, qui membrum Ecclesiæ non erat? Catechumenum autem fuisse probant litteræ Hilarii, in quibus illum arguit, quod nondum regeneratus, fidei formulam præscribere auderet. Atque ut nihil pro defensione veritatis videatur neglectum, ipsa falsitas ex mendosis figmentorum laciniis, quas non ita pridem Mombritius vulgavit, sese prædit; eadem narratur, quod ideo Constantius fuerit à Felice anathematizatus, quia ab Eusebio Episcopo Nicomediensi in fine vitæ suæ fuerat rebaptizatus; quam narrationem Nat. Alexander putidam falsitatem vocat. Nam & antea obierat Eusebius ille, & Constantius, ut ex Hilario compertum habetur, catechumenus adhuc erat, quod pariter ex Socrate & Philostorgio liquidò constat, quorum ille Antiochiæ, hic verò Moptuerenis Constantium, ultimò ægrotantem produnt fuisse baptizatum. Quid; quod ipsemet Athanasius *Lib. de Synod.* testatur reliquerit, hunc Imperatorem ab Euzoio (fuit hic Meletio in Antiochena Sede ab Arianis furrogatus Anno 361. Constantii emortuali) fuisse baptizatum? Quæ igitur de Felicis Pontificatu ante inventam tumbam erat Controversia, ne-

quaquam fuit postea per hanc sopita, neque obstantia argumenta soluta. Aliud enim est suam probare opinionem qualicumque adminiculo, aliud respondere ad rationes dubitandi in oppositum. Sapiens in dijudicanda veritate Historica non omittit quidem considerare omnia minuta, quæ ad rem stabiliendam conducere possunt: cum parvæ sæpe rei non parva sit observatio: attamen primariò oculos mentis eò intentos habet, quid dicatur, & an id conveniat tempori, personæ, an in circumstantiis sit connexio, an Scriptorum consensus.

Hujus quoque Felicis anceps martyrismus in hac inscriptione repertæ tumbæ validum putatur reperisse testimonium: quem tamen titulum martyrii, haud dubiè acceptum ex actis corruptis, & catalogo Pontificali, qualis, jam inde à sæculi sexti initio, descriptus fuit Papebrochio opinante *loc. cit. dissert. 10.* obtinuerat. Quare de traditionis & opinionis, titulum martyrii tribuentis, vetustate dubitari nequit: dandaque venerandæ antiquitati prærogativa, ut opinio nova, Veterum testimoniis contraria, nullum possit jure in eruditorum animis occupare locum: ut proinde Cælestinus *epist. ad Episcop. Gall.* meritò scripserit. *Desinat incessere novitas vetustatem.* Nihilominus ipsa antiquitas nuda ac cruda, suffragiis & autoritate sufficienti destituta, suis nequit subsistere viribus: sed tandem exesa se ipsa ruit. Neque enim ideo absolutè debet credi verum, quia antiquum, quia diu creditum, quia plurimum sæculorum serie traditum: præsertim, si ex obstantibus validissimis rationibus, aliisque circumstantiis non levioris momenti deprehendatur de falsitate suspectum: cujusmodi antiqua in Legendariis antea plura sæcula in usum quorundam Monasteriorum aut Ecclesiarum conscripta reperiri experimur; quod falsè depromit ex Dominicanorum Ordine assumptus Episcopus Canariensis Melchior Canus *Loc. com. cap. 6. circa medum.* Do-

lenter hoc dico, potius quam contumeliose; multo à Laertio severius vitas Philosophorum scriptas, quam à Christianis vitas Sanctorum: longeque incorruptius & integrius Suetonium res Caesarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum.

Narratur quod Fœlix ob Catholicae fidei devotionem & defensionem trucidatus fuerit: Verum ex alta Antiquitate nullum hujus rei reperire est vestigium. Certè apud Theodoretum, Sozomenum aliosve Scriptores æquavos de violenta Fœlicis morte nulla mentio. Sed ne inficiali duntaxat argumento millenaria gloriosi tituli possessio videatur impugnari; illud profecto haud præmittendum, quod Fœlix, qui à Constantio dicitur ejectus, idemquè ab eodem Cæræ, in Faliscis oppido, viâ Aureliâ, decimo septimo ab urbe lapide, ut Baronius in notis habet, occultè gladio necatus, ipsum Constantium supervixerit. Liquet enim ex Fausto & Marcellino *loc. cit.* quod post reditum Liberii Fœlix, quem omnis multitudo fidelium, & Procere de urbe iterum cum magno dedecore projecerunt, post annos octo Valentiniano & Valente Coss. (id est, anno aræ Christianæ 366.) Decimo Kal. Decemb. defunctus sit. Constantium interim Anno 361. è vita migrasse, Veteres omnes conspirant. Insuper Anastasius Bibliothecarius in *vit. Liberii*, & alii nonnulli referunt, Fœlicem in prædio suo, via Portuensi habitasse; ac ibi in pace vitam finivisse. Quid ergo dicemus ad hæc? Sunt, qui autumant, ab ignaris tam condemnationem, quam Pontificatus ac martyrii titulum fuisse appositum tumulo S. Fœlicis I. Demum si Fœlix ille, qui post Liberium fuit assumptus tanquam martyr colitur; sequitur, ut citati animadvertunt Authores, Fœlicem I. cujus sanctitatem & martyrium Ecclesia agnoscit, in Sacris Fastis nullum locum obtinere, nullisque celebrari honoribus. Volunt quidem aliqui diem 20.

Maji hujus esse natalem: sed in Martyrologio Romano, jussu Gregorii XIII. P. M. edito, & Anno MDCII Colonia impresse, nihil extat de eo, nisi in Indice perpetuo Lectorem ad illum diem remittente. Quidquid sit de hoc quorundam opinamento; Fœlicis, qui nominatur secundus, facilis in Ecclesia triumphante martyrii aureola, quam in militante agolum permitti posse videtur. Quanquam enim cum Arianis liberius, minusvè cautè communicaverit, à quorum cœtu promotus fuerat: quantum tamen ad ejus Orthodoxiam; si eadem etiam aliquando haud satis integra notata fuerit, nequam tamen usque in finem perseverasse in malè institutis legitur; sed, post adventum Liberii, consilium in melius mutans, atque ex retibus se propriis resipuit. *Sicut autem nihil prodest malè viventi antea vita probitas, quia superveniens nequitia iustitia opera delet: ita nihil officium peccata vetera correcta: quia superveniens iustitia laborum vita prioris abolevit.* Scribit Lactantius *Lib. 7. de cultu divin. cap. 24.*

Posset autem Fœlix, quod pariter admittit Papebrochius, dici Martyr, eo sensu, quo plures alii ante & post sua tempora pro fide & religione persecutionem passi, in carceri vel exilii ærumnis confecti ac mortui habentur Martyres. Hæc, ut dicta sunt in Controversia, de qua, judice Pagio, nil certi dici potest, non ad invidiam cujusvis: sed disquirende veritatis studio; si forsitan alicui à veritatis tramite deflexisse viderentur, qui de illa tractarunt; observet illud, quod Sanctus Augustinus *Lib. 2. de menda: cap. 4.* scribit.

Nunquam errare tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur.

CON-